



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Medvlla Theologiæ Moralis

Busenbaum, Hermann

Monasterii Westphaliæ

Artic. IV. Quid debeat restitui pro illato stupro?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40957

tur ab ipso, sed per accidens, & ex errore vel malitia accusatorum. v. Bon. d. 2. q. ult. f. 2. p. 21.

ARTICULUS IV.

Quid debeat restitui pro illato stupro?

Resp. Qui virginem per injuriam defloravit, tenetur tantum rependere damnum, quod ei ex tali injuria est secutum; idque vel matrimonio, vel damni æstimatione, ad arbitrium prudentis, ut talem nimirum inveniat, qualem manens virgo invenisset. v. Sanch. l. 7. d. 14. Fill. t. 32. cap. 8. n. 209. Unde resolves.

I. Præcisè pro sola virginitate non obligat restitutio. Unde si stuprum mansit clam, aut non impedivit, quin æquè lautè nuberet, ad nihil tenetur stuprator. Less. Bon. q. 4. de mat. p. 7.

II. Item ad nihil tenetur, si defloravit consentientem, absque vi & fraude, vel promissione matrimonii: quia non est facta injuria, Ib. & Trul. d. 2.

III. Si virginem importunis precibus flexit, nihil tenetur restituere, quia adhuc sensit liberè. Nisi fortè preces tales fuerint, ut cum vi & coactione æquiparentur, ut si conjuncte fuerint cum minis, vel metu reverentiali, v. g. si fuit illius dominus, vel vir magnæ authoritatis, Trul. c. 9. d. 3.

IV. Si per promissionem veram, vel fictam matrimonii eam flexit, tunc tenetur ducere eam: quia in omni contractu, ubi alter ex parte sua acceptavit & implevit, tenetur & alter implere;

etiam si fiktè contraxerit: qui tenebatur ex iustitia verè contrahere; cum alioqui omnia humana commercia fraudibus paterent. Et id quidem verum est, etiamsi stuprator religionem voluisset, *Less. lib. 2. c. 10. d. 3. & 4. Trul. d. 3.*

V. Non tamen tepetur fiktus promissor eam ducere, casu quo. 1. Is puellam valdè notabiliter conditionè excederet, vel verbis usus esset fictionem facilè indicantibus. 2. Si ipsa conscia esset prædicti voti; quia tunc ipsa contraxisset mala fide. 3. Si ipse putavit esse virginem, cum tamen non esset. 4. Si ex matrimonio grave damnum, aut scandalum timeretur. 5. Si ipse jam sacris initiatus est, aut alteri matrimonio copulatus: tunc enim his casibus solum teneretur curare, ut æquè commodè nubat, modo ante dicto, dando scilicet dotem, vel aliter, *vid. Sanch. 1. de matr. di. 10. lib. 1. Trul. l. 7. ca. 9. dub. 3.*

ARTICULUS V.

Quid debeat restitui pro adulterio?

Resp. Cum ex adulterio damnificari possint conjux alter, & proles legitimæ, circa sustentationem; hæreditatem, &c. patet, quod uterque adulterans, nata eis prole debeant, cum id damnum causent, eatenus restituere, quatenus possunt sine detrimento altioris boni, & causatione majoris mali. *Est communis. Laym. l. 3. t. 3. p. 1. c. 14. Unde resolves.*

I. Quod attinet ad ipsam adulteram, ordinariè non tenetur prodere, quod proles ejus spuria sit: nam & viro suo tristitiam, & sui odium, & discordias